



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Quid cadat sub voto? 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

iam incipit se exhibere ad faciendum; licet nondum impleat quod promittit: sicut ille qui ponit manum ad arandum, nondum arat; iam tamen ponit manum ad arandum.

ARTIC. II.

*Utrum votum semper debeat fieri de meliori bono?*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quod votum non semper debeat fieri de meliori bono. Dicitur enim melius bonum, quod ad supererogationem pertinet. Sed votum non solum fit de his quæ sunt supererogationis; sed etiam de his quæ pertinent ad salutem. Nam & in baptismo vouent homines abrenunciare diabolo & pompis eius, & fidem seruare, vt dicitur \* glossa super illud Psal. 75. Vouete & redite Domino Deo vestro. Iacob etiam vouit quod esset ei Dominus in Deum, vt habetur Genes. 28. Hoc autem est maximè de necessitate salutis. Ergo votum non solum fit de meliori bono.

478

¶ 2 Præterea. Itepte in catalogo sanctorum ponitur: vt patet Hebræorum vndecimo. Sed ipse filiam innocentem occidit propter votum, vt habetur Iudic. vndecimo. Cum ergo occisio innocentis non sit melius bonum, sed sit secundum se illicitum: videtur quod votum fieri possit non solum de meliori bono, sed etiam de illicitis.

*sumitur ex Cass. & Aug. in ho: to: co.*

¶ 3 Præterea. Ea quæ redundant in detrimentum personæ, vel quæ ad nihil sunt vtilia, non habent rationem melioris boni. Sed quandoque fiunt aliqua vota de immoderatis vigilijs vel ieiunijs: quæ verunt in periculum personæ. Quandoque etiam fiunt aliqua vota de aliquibus indifferentibus, & ad nihil valentibus. Ergo non semper votum est melioris boni.

SED contra est, quod dicitur Deut. 23. Sinolueris polliceri, absque peccato eris.

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est\*, votum est promissio Deo facta. Promissio au-

*art. prat.*



tem est alicuius quod quis pro aliquo voluntariè facit. Non enim esset promissio, sed comminatio, si quis diceret se contra aliquem facturum. Similiter vana esset promissio, si quis alicui promitteret id quod ei non esset acceptum. Et ideò cum omne peccatum sit contra Deum, nec aliquod opus sit Deo acceptum, nisi sit virtuosum: consequens est quòd de nullo illicito, nec de aliquo indifferenti debeat fieri votum, sed solum de aliquo actu virtutis. Sed quia votum promissionem voluntariam importat; necessitas autem voluntatem excludit: id quod est absolute necessarium esse vel non esse, nullo modo sub voto cadit. Stultum enim esset, si quis voueret se esse moriturum, vel se non esse volaturum. Illud verò quod non habet absolute necessitatem, sed necessitatem finis; puta quia sine eo non potest esse salus: cadit quidem sub voto, in quantum voluntarie fit; non autem in quantum est necessitatis. Illud autem quod neque cadit sub necessitate absolute, neque sub necessitate finis, omninò est voluntariu: & ideò hoc propriissimè cadit sub voto. Hoc autem dicitur esse maius bonum in cõparatione ad bonu, quod communiter est de necessitate salutis. Ideò propriè loquendo, votum dicitur esse de meliori bono.

Ad primum ergo dicendum, quòd hoc modo sub voto baptizatorum cadit abrenuntiare pompis diaboli, & fidem Christi seruare: quia voluntariè fit, licet sit de necessitate salutis. Et similiter potest dici de voto iacob. Quamuis etiam possit intelligi quòd iacob vouit se habere Dominum in Deum per specialem cultum, ad quem non tenebatur, sicut per decimarum obligationem, & alia huiusmodi quæ ibi subduntur.

Ad secundum dicendum, quòd quædam sunt quæ in omnem euentum sunt bona: sicut opera virtutis, & alia bona quæ possunt absolute cadere sub voto. Quædam verò in omnem euentum sunt mala: sicut ea quæ secundum se sunt peccata. Et hæc nullo modo possunt sub voto cadere. Quædam verò sunt quædam in se considerata bona, (& secundum hoc possunt



sunt cadere sub voto) possunt tamen habere malum eventum, in quo non sunt obseruanda. Et sic accidit in voto lepre, qui ut dicitur Iudicum 17 votum vouit Domino dicens, Si tradideris filios Amon in manus meas, quicumque primus egressus fuerit de foribus domus meæ, mihiq̄ue occurrerit reuertenti in pace, eum offeram holocaustum Domino. Hoc autem poterat malum eventum habere, si occurreret ei aliquod animal non immolandum, sicut asinus vel homo: quod etiam accidit. Vnde & Hier. dicit, In vouendo fuit stultus, quia discretionem non habuit: & in reddendo, impius. Præmittitur tamen ibidem, quod factus est super eum spiritus domini: quia fides & deuotio ipsius, ex qua motus est ad vouendum, fuit à Spiritu sancto. Propter quod ponitur in catalogo sanctorum: & propter victoriam quam obtinuit: & quia probabile est, eum penituisse de facto iniquo, quod tamen aliquod bonum figurabat.

Ad tertium dicendum, quod maceratio proprii corporis, puta per vigilias & ieiunia, non est Deo accepta, nisi in quantum est opus virtutis: quod quidem est in quantum cum debita discretionem sit: ut scilicet concupiscentia refrenetur, & natura non nimis grauetur. Et sub tali tenore possunt huiusmodi sub voto cadere. Propter quod & Apostolus Rom. 12, postquam dixerat, Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem: addidit, Rationabile obsequium vestrum. Sed quia in his quæ ad seipsum pertinent, de facili fallitur homo in iudicando, talia vota congruentius, secundum arbitrium superioris, sunt vel seruanda vel prætermittenda: ira tamen quod si ex obseruatione talis voti magnum & manifestum grauamen sentiret, & non esset facultas ad superiorem recurrendi, non deberet homo tale votum seruare. Vota verò quæ sunt de rebus vanis & inutilibus, sunt magis deridenda, quam seruanda.